



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

2. Vtrùm Regulares in Missione habeant easdem Indulgentias, quas habent in partibus Catholicorum, & easdem confraternit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

duabus vicibus, videl. quando itineri se accinxerint, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem. Sic refert Verricelli de Apost. Mission. quæst. 98. §. 25. n. 144.

ARTICULUS II.

Vtrum Regulares in Missionibus habeant easdem Indulgentias, quas habent in partibus Catholicorum; Et easdem confraternitates.

Resp. Affirmativè, uti expressè declaravit Urbanus VIII. in suâ Bullâ *Salvatoris* datâ pro Clero & Religiosis Missionariis in fœderatis Belgii Provinciis die v. May 1626. & confirmatâ ab Alexandro VII. in suis litteris per formam *Brevis Dudum* datis. 20. Septem. 1656 ubi sic habetur §. 17. *Quoad publicationem Indulgentiarum poterunt Regulares & Patres Societatis illas publicare, quas Ordines & Societas habet, & hætenus habuit, ubique terrarum, vel in partibus Germaniæ, & Belgii in univèrsam, edocto semel Vicario de facultatibus; neque Vicarius impediet vel interdicet.*

396 TRACTATUS X.

et. Et idem conceditur in eâdem Bullâ circa confraternitates, §. 18. Quoad institutionem fraternitatum, & Sodalitatum, permittat Vicarius Regularibus & Patribus Societatis, illas quæ à Sede Apostolicâ approbata, & ab Ordinibus assignata sunt, ita tamen ut nemo astringatur & teneatur ad particulares Confessarios, vel ad Sacramenta ab illo Ordine solum percipienda.

Noluerunt enim illi summi Pontifices, Regulares qui ibi cum tanto labore & tot periculis operantur in vineâ Domini, nec fideles Catholicos facere deterioris conditionis, quàm sunt fideles in partibus Catholicis, imo Ecclesia uti pia mater majorem solet compassionem habere cum illis suis filiis, tot persecutiones patientibus, ac proinde noluit eos illis spiritualibus consolationibus, quibus alibi gaudent, esse frustratos.



TRAC.